



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Oliva Virg. Mart. 10. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. OLIVA VIRG. MART. 10. Iunii.

Nobilis virgo fuit OLIVA. Id si cunis avia non crederem, monilibus crederem, vinculis inquam, quæ anno ætatis tertio decimo pro Christo gestavit, multum hoc muliebri mundo, & quantum nulla alia virgo, superba. At mors, sive ætati hoc, sive generis splendori dabat, noluit tam pulchram OLIVAM immaturo fato decerpere. Tyrannus tamen ex oculis patriæ (Panormum erat) in exilium transtulit. Nihil minus in hoc flore visa OLIVA. quid? quòd cæco eidemque pedibus capto cum luce Christum ostendit, & ad partem Christianorū docuit ambulare; cum alius interea quòd fidem nollet aspicere, oculos amitteret. Hos tamen etiam resipiscenti restituit, & utrumque ad martyrii cursum præmisit, cum ipsa ad eandem gloriam seriùs, & ingentibus triumphis grassaretur. Etenim flagris cæsa in silvas est relegata. Gratulatae sunt scilicet sibi hæc de OLIVA, sub cuius umbrâ etiam effera animalia mansuescere, & cum virgine innoxia totum septennium agere viderent. Interea homines in feras migrarunt. Nobilis enim juvenus dum feras captat, visâ virgine in retia Veneris se induit. At virgo, *An, ait, dubitatis partem virginitati homines, cui vim inferre bestia verentur aut, qui contra feras me defendit, DEVM pugnatorum pro me in feros homines dubitatis?* Dixit, & nassis et pedibus turpibus, mox martyres cælo transmissit. Ipsa etiam superatis denuò flagris & equuleo oleoque ab igne bulliente triumphans secundo gladio secandam cervicem, caput coronandum cælo dedit. Nunquam pulchrius laurus OLIVAM se junxit. *Ex Ferrario.*

Nec cedendum nec recedendum, etiamsi gravis tentationum fervor utriusque hominis statum afflixerit: eligamus potius ardere, quàm cedere. S. Bern. serm. 3. de Vig. Nativ.

S. BARNABAS APOST. II. Junii.

HABUIT BARNABAS patriam Cyprum; magistrum in lege Judaicâ Gamalielē; in Christianâ ipsum Christum. Apud hunc virtus illum in collegium discipulorum LXXII. adlegit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo aliquandiu comitem addidit. Lystris postquam Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque velut cælo delapsa Numina excepit; jamque aras, & victimas, & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in BARNABA Jovem venerata. Et profectò, etsi, ut par erat, divinum honorem longè illi repudiarunt, officio tamen tunc melioris Mercurii functi sunt, DEVMQUE civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Judæi plausum lapidibus excitarunt, & his tantum non sepultum Paulum, facile hominem non DEVM esse probarunt. BARNABAS etiam Salaminæ à Judæis multis tormentis exercitus, faxis ultimò obrutus, & in ignem conjectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum cælo Phœnicem vidisses prodire, integro etiam corpusculo, quod D. Marcus terrâ composuit. Multò post, cum in sedem Antiochenam invasisset nescio quis hæresi pestilenti afflatus, vigilavit pro re Catholicâ etiam mortuus BARNABAS, & Anthimo Salaminæ Episcopo tertium visus monuit, uti communis causæ patrociniū Constantinopoli apud Imp. susciperet; simul etiam indicavit, quo loco ossa sua, & unà volumen, in quo D. Matthæi